

A tergo :

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, nec non Egregijs et Nobilibus N. N. universis Statibus et Ordinibus Regnorum Nostrorum, fidelibus Nobis Dilectis.

(L. S.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. 1706 Nr. 19.

CCXXXI.

Anno 1706. die 3. Novembris. Viennae.

Josephus I. Rex Croatas, qui Rakoczii incitamentis restiterunt, ob eorum fidelitatem laudat.

Josephus Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij et Nobiles, Fideles nobis dilecti. Relatum Nobis demisse fuit a Consilio Nostro Aulae Bellico, qualiter a devotione Nobis debita devius Rakoczius temerarias Patentes, ejusdemque perduellis Assecla Voinovich partim illectorias, partim vero comminatorias pro declinando ab intemerata fidei suae constantia charo Nostro Croatiae Regno Literas Colonello Nostro Delisimonovich, ad Fidelitates Vestras ulterius promovendas direxerit. Contestabatur autem desuper Episcopus Noster Zagradiensis Martinus Braikovich, qui ex instinctu Zeli sui aequae illibati universa praeacta seditiosa Rebellium documenta Literalia supra recensito Consilio Nostro Aulae Bellico sincere communicaverat, tum Eandem, quam Fidelitates Vestras (prout et id ipsum ab iisdem hucusque probe perspectum habemus) ac Universam demum Regni Nobilitatem homagiale suam erga Nos devotionem cum immolatione etiam (si infaustus casus aut iniqua sors ita ferret) facultatum imo Vitae et Sangvinis inalterabiliter comprobaturam fore.

In quo itaque egregio erga Servitium Nostrum studio et claris adeo ac insignibus integritatis argumentis dum Nobis benigne complacemus, ideoque et Caesareo-Nostris Regijs gratijs benigne id ipsum Nos agnituros declaramus.

Fidelitates Vestras clementer insimul cohortamur, quatenus ulterioris etiam in eximio ac laudabili virtutis suae inconcussae debito continuantes, universos etiam Regnicolas ibidem Nostros ad parem perseverantiam viriliter animare velint, securique vicissim confidant, Nos pro conservatione et firma tuitione charae Nobis praesertim Provinciae contra perniciosas illas ac quasvis alias perduellium machinationes aut apertos insultus, tam per itidem dictum Consilium Nostrum Au-